

divisa, et ex Evangelii Patrumque *Isidori, Ambrosii, Augustini, Coelestini* Papae, *Jobannis Chryf. Gregorii et Cypriani* Dictis conflata, cujus Art. I. inscribitur: *De Bapstismi Precepto in Euangelio*; ultimus vero, postquam de singulis Bapstismi Ritibus actum fuisset, *De Pedum Nuditate*. Accedit alia ejusdem argumenti brevis Descriptio insignita: *Item Ratio De Sacro Bapstismatae*, et Examen, quod hunc titulum praefert: *Incipiunt Quaestiones De Rudimentis Caticuminum Uel Eorum Qui Ad Gratiā Bapstismi Diuina Inspirante Clementia Uocandi sunt*. Initium: Interrogatio. *Primum quero a te quare caticuminus uocetur et qua lingua dicatur*. Responso. *greca*. Int. *Latine quid interpretatur*. Resp. *Audiens uel auditor*. &c. Definit in Vocis *Alleluia* interpretatione, videlicet, *Alle Pater Lu Filius Ja Spiritus sanctus*. Quid ad haec Hebraeus?

III. fol. 45. *Epistolae* (sic) *Formatarum*. *Incipiunt Formata Epistolarum*. Initium: *Greca elementa litterarum numeros etiam exprimere* &c. *Attici CPolitani* verba sunt, ut dictum ad *Cod. DCCCXXVIII. N. 23. et 24.* Addita vero hic sunt Exempla tria ejusmodi *Formatarum*, quorum primo *Monachus*, altero *Presbyter*, tertio in *Ordinibus minoribus* constitutus commendatur. Primum *Jobannis Arelatensis* Archiep. ad *Nebridium* quendam Archiep. nomen praefert, addito Anno *DCXIII.* qui nisi in mendo cu-

bat, anteriorem fuisse oportet *Jobannem* aliquem *Arelatensem* illo, qui *T. I. Galliae Chrift. col. 542.* ad an. *DCLVIII.* *Primus* statuitur.

CCLXXIV.

VII F. 13

Codex membranaceus lat. Sec. ^{Theol.} 434 = (Tab. :) 806 partim X. partim XII. partim XIII. Folior. 195. 4. fat nitide scriptus, rubricis distinctus et olim *κτμμμ Fratrum Monasterii Hegenensis* (Hayne) *Canonicor. regular. ordinis augustini Worm. dyoc. prope Castrum Altelyningen* plura bonae Notae continet, quae exponimus: I. *Praeua rudi Chrifti* inter IV. *Evangelistarum* *Symbola* sedentis pictura lineari *Incipit Liber Officiorum Sancti Isidori Episcopi Spaniensis*. Praefatio: *Domino meo et dei seruo fulgentio episcopo. isidorus episcopus. Quaeris a me originem officiorum* &c. Nihil diversum ab Editione *Jac. Du Breul Paris. 1601. p. 580.* praeter *scriptis uetustissimis auctorum* pro *uetustissimorum auctorum*. Praefationem excipit *Elenchus Capitem*, ut in Edit. nisi quod c. 13. *de Alleluja* inscribatur *de Laudibus*, et c. 43. *de vario Usu Ecclesiarum* prave *de uario usu escarum*. Textus porro ipse saepe non inepte ab Edit. discrepat, ut adeo conferri totus mereretur. En specimina! C. I. edit. *quia per uniuersum mundum est instituta: vel Catholica, quia uniuersalis in ea doctrina est ad institutionem hominum de uisibilibus rebus coelestium ac terrestrium.*

strium. Codex: quia per uniuersum mundum est constituta. uel quod catholica hoc est generalis in ea doctrina est ad instructionem hominum de uisibilibus rebus caelestium. τω uisibilibus manu coeua rite impositum erat in (inuisibilibus) quod Sciolus quidam prava Exemplaria secutus erasit; ego uero rescribendum puto. Quid enim Ecclesia doceret de Visibilibus, maxime Terrestrium? Itaque et istud in Cod. nostro recte omissum est. C. 3. edit. et utrorumque sexuum distinctis classibus se ac sororem praecinere deo in choris carmen triumphale perdocuit. Codex: Cum utrorumque — se ac sorore praeuente canere domino — perdocuit. Idem edit. Corona enim proprie multitudo canentium est. Codex: Chorus enim &c. quam lectionem ipsa Edita confirmant; sequitur enim: quique, quod utique ad nomen masculini generis adpellat. C. 4. edita: Quando — Israeliticus populus — ad desertum gratulabundus egressus est. Codex: Quando (Moyfes) — cum populis — egressus est. Haec lectio rursus stabilitur ab ipsis Editis; sequitur enim: dicens: Can-

temus Domino &c. Moyfes nempe Cantici Autor dicens. Atque haec ad Codicis pretium demonstrandum dicta sufficiant. Liber II. itidem Caputum Elenchum prae se fert, sed non agnoscit ultima illa duo Capita de Suffragiis Ecclesiae, quae habentur in Edit. Paris. 1570. Colon. 1617. et nostra cit. Absunt uero a Lips. 1534. Colon. 1568. et Rom. 1591. et merito, si quid uideo; nullum enim cum praecedentibus nexum habent. Eorum loco Codex noster, uti Editio Rom. cit. breuem habet Epilogum, qui tamen e plurium Exemplorum collatione sanandus est.

II. fol. 51. sequitur manu, ut deinceps, Sec. XII. Catechesis breuis Liturgica de Ministris Ecclesiae, de Missa et Sacramentis absque Autoris nomine, hoc initio: Interrogatio. Ostiarius unde dicitur? Resp. Ab eo quod ipsi primo concedatur ecclesiae ianuam uel aperire uel claudere &c. Ultima Interrogatio: Quare circa finem missarum osculo pacis sibi coniunguntur fideles? Sub finem haec leguntur: De VII. Gradibus.

*Hi sunt septem gradus quibus Christus completitur.
Lector fuit quando aperuit librum isaie.
Exorcista quando eiecit VII demonia de maria magdal.
Sobdiacomus quando fecit de aqua uinum.
Diaconus quando lauit pedes discipulorum.
Sacerdos quando accepit panem et benedixit.
Hostiarius quando percuciebat ostia inferni.
Episcopus quando eleuauit manus et benedixit apostolis.*

Similia legas in *Stephani Eduensis Ep. Tract. de Sacramento Altaris. T. XX. Biblioth. PP. Lugd. p. 1872.*

III. fol. 55. Farrago Carminum ἀδελφοτων, quorum praecipua duo *Columbani Abb. Scriptoris Sec. VII. scilicet Epistolion ad Hunaldum*, quod incipit:

Casibus innumeris decurrunt tempora uite &c.

Et alterum ad *Sethum* :

Suscipe Sethe libens et perlege mente serena &c.

Pro *Sethe*, ut habent *Edita Biblioth. PP. Lugd. T. XII. p. 33. in Cod. nostro legitur queso*, Carmenque ipsum bis aliis interpolatum, neque integrum est, lectio tamen sanior, quam in ipsa *Edit. cit. ubi statim in priore Epist. comprehende et superne pro comprehendere et sperne* luculenta σφαλματα sunt. *Correptior Sirmondus Opp. T. II. p. 908. Enumerabo jam et reliqua Breviora:*

De Fraude et Periurio. Disticha 4. Jesu christe uide dolus et fraus regnat ubique &c.

Sine Titulo sed de Misericordia humana Hexametri. *Intulit esyas missus clamare propheta. Cuncta caro fenem &c.*

De S. Maria. Hexam. Te rosa porta rubus sol uirgula mirra fauus thus &c.

De Fortuna. Hexam. Allicit exultat minitendo mouet pede calcet &c.

Sine Titulo Monitum. Hexam. *Gaudia spem linque non sit timor aut dolor in te &c.*

Aliud. Hexam. *Sicut quadratum stat quomocunque locatum &c.*

Aliud. Hexam. *Per somnum latus (Adami Eva) egreditur mundo paritura &c.*

De Symonia. Hexam. Creuit in ecclesia monstrum monitore — Symonidum secta canonum uirtute resecta &c.

Sine Titulo in Feminas. Distich. *Plurima cum soleant animos euertere sacros &c.* Extat inter *Hildeberti Cenoman. Carmina miscell. Edit. Paris. 1708. p. 1353. f.* atque, ut ibi extat, e *Cod. nostro emendari potest. Ita Dist. 2. pro fomenta fomesque lege facesque. Dist. 4. intimus hostis in Cod. ultima clades. Dist. 8. Consumensque viros lege omnia consumens. Alius nobis praeterea Distichorum ordo et Hexameter solitarii: *Samson cur rueret, toto nil tucius (notius) orbe.* Atque ex hoc et alio bino sequenti carmine arguo, plura *Codicis nostri ad Hildebertum* pertinere, quae in suis Exemplis editor *Beaugendraeus* non reperit.*

Super Crucem. Hexam. Mors superat mortem. fortis premit in cruce fortem &c.

Aliud.

Aliud. Hexam. *Ysaac ligna ferens. aries in uepribus berens &c.*

Aliud. Hexam. *Ne que confundas. ne quid sine pondere fundas &c.*

Aliud ex *Hildebertinis col. 1232.*

Preco. puella. deus. grex. pastor. stella. Sabeus. Fert. parit. irrorat. stupet. audit. ducit. adorat.

Aliud. Hexam. *Maestas mira trutinans mea summa uel ima &c.*

ueniamque rogare &c. Alterum Distich. *Quisquis in hanc sacram supplex accesseris aulam &c.*

Aliud de Evangelistis. Hexam. *Ecce quadriga fidem quadrum dispergit in orbem &c.*

Aliud Morale. Hexam. *Altus ad ima redit. Non altis demon obedit &c.*

Aliud de Vita Christi. Hexam. sed perturbatum, cuius primum versum puto: *Verbum quo pregnat, cognatam leta salutat &c.*

De Mortalitate. Hexam. *Omne genus gentis velud unde more fluentis &c.*

Aliud de Cruce. Hexam. *Nec Deus est nec homo presens quam cernis imago. Sed deus est et homo presens quem signat imago. Inter Hildebertina p. 1351. Sed v. 2. ibi: quem sacra figurat imago.*

Inscriptio, ut videtur, Coemeterii. Hexam. *Vos nunc egressi presentes siue regressi &c.*

Aliud geminum sacrae Aedi, ut videtur, inscriptum, prius Hexam. *Qui uelit intrare, scelerum*

Inscriptio Chori. Hexam. *Ordo typusque chori docet ut mens consonet ori &c.*

<i>Virginitas flos</i>	} est {	<i>et uirginis aurea dos</i>	} est.
<i>Concubitus fex</i>		<i>merces sua pessima nex</i>	
<i>Livor edax crux</i>		<i>et ad impia tartara dux</i>	
<i>Vera fides nix</i>		<i>fraus et deceptio pix</i>	
<i>Ebrietas fax</i>		<i>nimphę potatio pax</i>	

De Oratione. Hexam. *Primum discatis &c.* Corruptum est Distichon.

Pentastichon structurę singularis, quod adscribo:

Multa deinceps sequuntur Disticha, Tristicha &c. sacri aut moralis argumenti, atque inter hæc non pauca ex *Horatio* depromta,

item *Aenigmata*, quae singula edifferere operae pretium non videtur. Excerptam tamen aliqua.

Virgo Maria dei stella (et?) clarissima mundi Pollet in hoc templo cum presule corbiniano.

993

P A T R I S T I C I

994

Item: *Hoc tumulo pausat quem multum patria laudat
Fritelo cui requiem quisque precetur amen.*

Tria item manu aliquantum recentiore adjecta:

*Me gotfrid sancte presul dedit ecce marie
Munere pro tali teneas pia gaudia celi
Quo residet regum rex omni laude per eum
Imprimat omnipotens hoc celi nomen in arce.*

In Flauello Versus.

Ardorem solis placida compesco sub umbra &c.

In velo super feretrum.

Hoc subter iaceant defuncta cadauera fratrum &c.

IV. fol. 60. manu Sec. XIII. *Ivonis* Ep. Carnotensis, qui a. 1115. fatis cessit, *Epistolae* CC. quarum praeceunt *Summaria*. Editae sunt omnes, proceduntque ordine, quo impressae leguntur, nisi, quod ibi recentius aut separatim inventis interpolentur. Chorum ducit *Urbani* II. Epistola ad Clerum et Populum Carnotensem, quae incipit: *Nos quidem tam pro beate Marie semper virginis deuotione &c.* Claudit Epistola *Ivonis* ad *Turgedum Abrincensium* Ep. hoc initio: *Quoniam cum patitur unum membrum &c.* atque haec in edit. *Paris.* 1647. p. 115. est numero CCLXX. Ad calcem adtexta est Epistola *Johannis* VIII. Papae ad *Anselmum* limoginae (Lemovicensis) ecclesiae Ep. de Patre, qui prolem suam moribundam baptizauerat, quae incipit: *Ad limina apostolorum beati petri et pauli*
Denis Codd. mss. theol. Bibl. Palat.

principum &c. et habetur inter *Johannis* Epistolae T. XI. Collect. Concill. Labb. edit. Venet. col. 119. numero CLXXXVIII. Sequitur Epistolam hanc continuo Formula quaedam *Accusationis*, quam adscribo: *Sanctissime pater ecclesiae salus infirmarum medicus animarum dignare peccatori penitentiam de criminibus agenti solitam pietatis gratiam adhibere. En ego omnium sceleratissimus duas eheu sorores incestaui. ideoque intelligens quantum creatorem offenderim animarum compunctus penitentia ad te domine confugi. ut debitum pondus meae penitentiae per manum tue pietatis alleuietur.* Epistolarum *Ivonis* lectio proba est.

V. fol. 148. Praeunte *M. T. Ciceronis* Somnio *Scipionis* sequitur *Aurel. Macrobius* *Ambr. Theod.* qui ineunte Sec. V. scripsit, in *Illud Commentarius*, ab antiqua manu praenotatus: *Edicio*

R r r

cio

cio super platonem, inde fortassis, quod *Macrobius* primis illico verbis *Platonem* memoret. Lectio cum hujus, tum *Ciceronis* fati sincera est. Utrique Notulas tam inter lineas, quam ad marginem adspersit coeva manus; multo tamen copiosius *Macrobio*. Incipit hic: *Inter platonis et ciceronis libros, quos de republica uterque constituit &c.* Atque malim hoc pro: *utrumque constituisse constat*, quod habent Editt. *Gronoviana Lugd. Bat. 1670.* et *Lond. 1694.* Similiter paullo post, ubi Edita: *Sed quod vel illi commento tui — opus fuerit &c.* praeferenda Nostri lectio: *Sed quid &c.* Ceterum caute discriminandae sunt Notulae adventitiae ab iis, quae plurimum *Codd.* fide ad ipsum Textum pertinere queunt. Ita mox sub principium *τὸ ἀπὸ* quodam vitæ reddito superscriptum est: *seu here* scilicet *Ere*, quem Autor eod. Cap. *Platonicum* vocat. Mox iis verbis: *a tulliano Scipione ingesta* superjacet *per quietem*, quod utique *Codices mss.* et Edita recipiunt. Hinc liquida fit etiam labes illa, quae per ignorantes Librarios saepius in *Codices* fluxit, dum Notas textui adjectas ipsi temere insererent, ut hic statim ab ingressu accidit; legitur enim: *operis similitudinem servavit intentio uel imitatio* vovulis *intentio uel* manifeste in lineam Textus delapsis. Abrumpitur Opus in his L. II. C. 16. verbis: *non posse animam se movere, ne eadem et moveatur — —*.

Ad compingendum Codicem primum adsumtum est folium, in quo scriptae sunt Literae dimissionis F. *Nicolai Spatz de Rottenburg* e familia *Canonicorum Reg. Coenobii Hegenensis Dioec. Wormat.* Priore *Henrico*, Anno 1455. in die *Cathedrae S. Petri*, altera dein lacinia complexa *Virgilii Eclogam X.* a v. *Mænalus et gelidi &c.* usque ad v. *Pierides vos haec facietis &c.* tertia denique repraesentans finem *Scenae* ult. *Hecyrae Terentianae* a verbis: *atque ingenium obtines, ut unus hominum homo &c.*

CCLXXV. VI 7. 11.

Codex membraneus lat. Sec. 817. IX. Folior. 190. 8. formae paene quadrae, nitidissime exaratus, titulis uncialibus miniatis, integerimus et optimae notae inscribitur: *In Nomine Domini Incipit Liber. Prognosticorum. Futuri Saeculi. Dalio (Idalio). Barchinonensis. Sedis Episcopo. Julianus Toletanae Sedis Episcopus.* Cum *Cod. CCCXLV.* aliud Sec. XII. Exemplar recenseamus, dabimus hujus quoque exactam descriptionem. Itaque p. 2. incipit Prologus: *Diem illum clara redemptoris omnium exceptione conspicuum &c.* Fol. 9. p. 2. Oratio sequitur: *Desertum idumaeae. caecus et morbidus possessor &c.* Fol. 12. Incipiunt *Capitula Libri Primi De Origine Mortis Humanae.* Quae sunt numero XXII. Fol. 15. Incipit *Liber. I. De Origine Mortis*